

religiosa hæc solennitate honorans, æmulor Romanam Gentem, quæ magnum quondam cultum (ut *Rosinus* lib. 2. antiq. Roman. C. 20. recenset) Deæ cuidam, nomine FLORÆ, Rosæ aliorumq; florum protectrici exhibuit, festaq; FLORALIA in honorem ejus celebrare consuevit; æmulor inquàm, & superstitioso gentilitatis ritu, in Christianum commutato, non futili illi ac commentitæ Divæ, verum Vero & MAXIMO DEO omnium rerum Conditori, ROSAM hanc VARNIACAM devotissimè commendo, ut, quæ ad hodiernam diem suam venustatem inter tot ærumnas, per ipsum unicum suum Conservatorem non perdidit, eandem ad ultimam illam totius mundi metam, ab omni malo noxiq; sydere tuta conservet; ILLUSTRISSIMI autèm AC CELSISSIMI cum totâ Provinciâ PRINCIPES MEKELBURGENSES, ut & AMPLISSIMI, PRUDENTISSIMI, cum totâ Vrbe CONSULES ET SENATORES, hujus ROSÆ fragrantis & saluberrimæ plantatores, nutritij, patroni, clementissimi, benignissimi, vivant florentq; felicissimè, ut sub eorum auspiciis favoribus ac beneficiis, beatè ac tranquillè ROSA hæc dies suos transigat, & majores de die in diem fructus, huic Vrbi, Provinciæ, Rebus publicis, Ecclesiis, Orbi deniq; Christiano producat.

SOLI DEO PRÆPOTENTI
LAUS, GLORIA, IN ÆVITER-
NA SECVLA.



ORATIO
SOLLENNIS VALEDICTORIA
De
LEGE LYCVRGI
QVA HIC SPARTANOS SVOS
VETVIT PEREGRINARI
in Celeberrima Altdorfina

d. xxv. Aug. A. O. R. c i s i c LXXXVI

publicè ac memoriter
recitata

EXERCITIUM ORATORIVM

à
GEORGIO BURKHARDO LÖFFEL-
HOLZ à Colberg.

Literis HENRICI MEYERI, Univ. Typographi.

DEO
PATRONIS
PARENTIBVS
AMICIS
EXERCITIVM HOC ORATORIVM
SACRVM
ESTO.



367663

PROGRAMMA
M. MAGNVS DANIEL OMEIS,
Ethic. & Eloqv. Prof. P.

L. B.

S. P. D.

Sentiunt malè nimis
nonnulli in agendo & iudicando hospites
ac peregrini
de *Studio Peregrinandi*.
Vnde tanta, inqvium, vicissitudo rerum,
nostro cumprimis in Imperio,
qvàm à *Peregrinatione*?
Hæc Levitatem novæ præcæ Germanorum miscuit Gravitati,
Inconstantiam Constantiæ,
Astutiam Simplicitati,
Mollitiem Fortitudini,
Simulandi ac Disimulandi artem Candori.
Hæc mensis Sybariticis nostras oneravit mensas,
luxuque Asiatico antiquam luxavit frugalitatem.
Per hanc vestium variarum tomenta ac tormenta,
per hanc philtora morborumq; centum venena
venerunt in Germaniam.
Qvot Anglia, qvos accepit Angelos,
monstratis tot sectarum monstris,
transformat in diabolos?
Qvot Gallia, qvos accepit viros,
remitit semiviros capos, ac verè Gallos,
sacerdotio Cybeles dignissimos?
Qvot animi gratiâ profecti sunt in Italiam,
sed animum ibidem & animam perdidere?
Equividem haud negamus
suam Hispanis gravitatem,
Anglis moderationem,
Gallis civilitatem,
Italis sagacitatem,
Germanis candorem ac fidem,
sed neq; hoc negandum,
cuius climati suus est dies
horto sua rosa,
igni sua flamma,
& diem quemvis sua nocte sepeliri,
rosam sua spina amari,
flammam suo fumo intectari,
regionem omnem sua qvog; labe vitari.

E

A 2

Paris.

Paris, Priami filius, in Græciam peregrinatus,
inde nil domum retulit, quàm facem imperii sui Helenam.

Haud secus multi, quando è patria abeunt,
abeunt à se ipsis,

cumq; ipso orbe vertuntur in orbem ac pervertuntur.

Pereunt, dum depereunt Helenas,
ac impuris hujusmodi fumantes incendiis
totam denigrant mentem,

ardentemq; sub pectore Trojam reportant domum.

Jam verò cum sacrosanctæ Imperii sanctiones
vita bonisq; mulctent,

qui monetam improbam & exclusam à commerciis
invehunt in Germaniam;

quantò graviore poena erunt digni,

qui peregrinas vitiorum merces important in patriam,

popularium suorum depopulatores,

quorum bonos mores & integritatem

rodunt, radunt, corrumpunt.

Natura pareamus imperio,

quæ ideò terras à terris,

montibus, sylvis, fluminibus separavit,

ut intra septa ac fines suæ quisq; provincie confisteremus.

Discat juvenus domi, quod in rem sit Domus ac Reipublicæ.

Absonum est, ea quæ patriæ conducant,

quæerere extra patriam,

& petere ab extraneis,

quò toto vitæ genere,

tota imperandi ac patendi ratione, à nobis dissident.

Hæc & his gemina ingeminant Peregrinationis hostes,

probantq; *Legem*

quâ *Lycurgus*, ille Eunomi (potius Eunomiæ) filius,

ci-ves suos Spartanos peregrinari vetuit,

ne peregrinos animos ac mores peregrina sub veste

in-veherent in ci-vitatem.

Hanc verò *Lycurgi Legem*

ad legem & normam rectæ Rationis

Oratione publica, eaq; publici saporis,

& ad Eloquentiæ leges regulamq; composita,

examinabit ac refutabit

Generosæ suæ Familiæ Ornamentum longè Nobilissimum

GEORGIUS BVRKHARDVS LÖFFELHOLZ

à Colberg,

Agri Heliconii solertissimus *recipiens,*

& Apollineorum *Castrorum* usu probè *duratus* miles;

futurus, ceu Prænomena ejus augurantur,

inter *Bella Mars*, inter *Musas Apollo*.

Et

Et quamvis *Cochlear* denominati onem habeat à forma *Cochleæ*,
Strenuus tamen *Löffelholzius* non vult esse domiporta,
aut vitam agere *Cochleæ*,

sed *Mercurii alis*

(factus enim est hoc ex *Ligno Mercurius*)

propediem exteras advolabit terras:

in hoc tantum similis *Cochleæ*,

quòd, sicut hæc nunquam progreditur, nisi corniculis,

quæ ipsi, ex *Physicorum* sententia, sunt instar oculorum,

viæ semitam prætentaverit,

ita & *Noster* circumspèctè ac providè suo se accingit itineri,

jam prænosens, quæ videnda, quæ vitanda.

Agite ergo

MAGNIFICE DN. RECTOR,
PERILLVSTRIS AC GENEROSISSIME DN. BARO,
NOBILISSIME AC STRENVISSIME DN. PRAEFECTE,
EXCELLENTISSIMI PATRES ACADEMICI,
CIVESQVE ACADEMIAE CAETERI, GENERIS NOBILI-
TATE PARITER AC DOCTRINA FLORENTISSIMI,

ad crastini nonam

in Auditorio *Welferiano*

Oratorem audite memoriter omnia memoraturum,

& *Examini huic Legis Lycurgi*,

tanquam jucundissimæ animi peregrinationi,

Benevolentiae vestrae auram,

Favoris serenitatem,

Amoris vela indulgete,

quò suum hæc Oratio cursum

ad optatam perducere possit metam.

Circa quam ubi Vos Orator *VALERE* jubebit,

favebitis, spero, ac vovebitis,

ut *Musarum Charitumque* delictum *Löffelholzius*

patriis è *Laribus* hilaris abeat, fortis redeat,

& ubiq; ambulet *Vias Domini*.

Ab his quisquis aberrat,

toto caelo aberrat.

P. P. Altdorfi Noricorum IX. Kalend. Septembr.

CIC IO C LXXXVI.




A 3

ORA-

ORATIO.

Magnifice hujus Vniuersitatis DN. RECTOR,
Perillustri ac Generosissime DN. BARO,
Generose ac Perstrenue DN. PRAEFECTE,
Excellentissimi atq; Celeberrimi PATRES ACADEMICI,

Tuq; Nobilissima florentissimaq; reliquorum
AUDITORVM Corona, Ornamentum seculi,
Spes Posterorum, Pectora generosa,
ad summa quæq; nata!



Historiarum monumenta quisquis curioso perlustraverit oculo, deprehendet ex facili, nullam unquam Societatem, nullam Rempublicam, nullum Regnum Legum fulcris destitutum, aut valuisse aut constituisse. Leges enim quid aliud sunt, quam anima civitatis, quæ perinde felix aut infelix evadit, ut bonis malisq; Legibus est temperata. Demosthenis, at quanti oratoris! hoc est effatum, quippe qui probè cognoverat eas esse vinculum dignitatis, quâ fruimur in Republica, esse fundamentum libertatis, esse fontem & scaturiginem omnis æquitatis. Et quemadmodum corpora nostra sine mente munus peragere suum nequeunt; ita Civitas sine lege, suis partibus, ut nervis ac sanguine & membris, uti non potest. Hoc cum optimè Legislatoribus etiam Gentilium cognitum perspectumq; fuerit, salutaribus ii Respublicas suas suffulcire legibus summo laborant opere; è quibus, licet alios silentii sipario involvam, sapientissimum tamen Atheniensem Solonem, nec non prudentissimum Lacedæmoniorum Lycurgum, ob singularem in ferendis legibus dexteritatem, præterire haud possum. Hi enim tot malis dejectam patriam in optimum reduxerunt statum, tot ærumnis obnoxiam Rempublicam sapientibus consiliis liberarunt, tot bellis fessam, paci & otio restituerunt. Sicuti autem

autem summis meritò hi Legislatores ad sidera extollendi sunt laudibus; ita cum homines fuerint, aliquid quoq; humani nonnunquam eos passos esse, quotusquisq; mecum non fatebitur? Prodeat in scenam cum Legibus quibusdam suis *Lycurgus*! Furta hic sanè, modò solerter & ingeniosè essent commissa, Spartani suis permittit, quòd furandi solertia & assuetudo acueret obfirmaretq; animos adolescentium & ad insidiarum astus, & ad vigilandi tolerantiam & obrepenti celcritatem. Porò puellas, non minus quam pueros, nudas in publico versari, ac in certis quibusdam sacrificiis saltare & canere advesfecit, adolescentibus præsenibus pariter & adspectantibus. Quæ tamen Lex à Scriptoribus duobus piperati pectoris, Euripide & Eusebio, obfcenitatis obelo non immeritò notata est; quorum ille quidem in *Andromache* (liceat Græca induere veste Latina) graviter ait: *Neque, si velit quepiam casta esse, queat Spartana puella; que cum juvenibus, relinquentes domos, nudis femoribus ac tunicis dissolutis, cursus palæstræq; non tolerabiles mihi communes habent, & tamen admirabile videtur, si non castas mulieres educatis!* Iste verò Platonem reprehendit, quòd secutus Constitutiones Lycurgi, in libris suis de Republica & Legibus iusserit mulieres non solum juvenes, sed etiam anus, in gymnasiis nudas cum viris luctari, adolescentulas nudas cursu & equis certare, & in sollennitatibus eas quoq; nudas nudis cum juvenibus tripudiare. Accedit geminis illis hæc quoq; Lycurgi lex, qua permittit Senibus, qui uxores habebant forma atq; ætate integra, viros juvenes ad conjuges suas introducere, cumq; illi has generoso semine implevissent, prolem inde proinatam suam facere. Vicissim facultas dabatur Viro juveni eiq; bono, si quam foecundam mulierem, alii matrimonio junctam, in admiratione haberet, ut eam à Viro impetraret, congressusq; cum ea, tanquam in solo fertili liberos fereret bonos ac civitati utiles. Atque ne sine omni prorsus ratione lex ista lata videretur, verè bruto ad stabilicidam eam usus est argumento; dicens, Cum canes & equas præstantissimis id genus animalibus submittant Spartani mei, eorum dominis gratia aut pretio id ut concedant permotis, mulieres contrà inclusas custodiunt, voluntque ut ex ipsis tantum pariant, sive jam ipsi desipiant, sive decrepiti sint, sive valetudinarii. O Leges imis omnium castorum pectorum penetralibus clavo trabali affigendas! Leges, quas sanctus veneretur Numa, & quas custos ille hortorum servet libentius, quam Virgines Vestæ! In hunc Legum à Lycurgo latorum censum referenda & hæc non minus absurda, qua civibus suis peregrinationem omnem interdixit, ne domum reversi, extraneos in civitatem mores inveherent. In cuius Legis veritatem ac robur nunc inquisiturus, illud pro virili ostendere conabor, Lycurgum cætera prudentem satis Legislatorem, non satis tamen causæ habuisse, cur ob exteros in civitatem inferendos mores, ab omni peregrinandi studio Spartanos suos abstrahere debuerit. Hanc verò jucundissimam animi peregrinationem dum instituo, Te, Splendidissima Auditorum Corona, ut cursum orationis meæ, benevolentia & attentionis tuæ studio, tanquam optatissimis remis & velis, adjuves, ea qua par est observantia & humanitate, majorem in modum rogo.

V Erit ergo Lycurgus (teste Plutarcho in Vita ejus) Spartanos suos omnino peregrinari & hinc inde vagari; hujusq; Legis hanc reddidit rationem, ne extraneos mores imitationemque vitæ nequiter instituta, nec non diversarum in Republica constitutionum, inveherent in civitatem. Tantum enim hominum mentibus novarum rerum studium inesse norat Legislator noster, ut ad illa perpetim, quæ visa foris, foris audita, foris

foris usitata sunt, pleno animi impetu ferantur; atque adeo sæpe fieri, ut peregrinatores exterorum illecti moribus, iisque asæveti, ad patrios Lares si reversi fuerint, mores ac ritus patrios despiciant, majorum instituta rejiciant, priscam Reipublicam rideant, nihilque quod in foro, curia, Senatu constitutum à Majoribus est, pensi habeant. Quemadmodum verò ciborum peregrinorum diversitas & multitudo non parum valetudini corporis nostri officit; sic & mores exotici Rempublicam labefactant, eamque in discrimen adducunt longè maximum. Atque hanc quoque rationem magni æstimans Plutarchus, neque ipsam Lycurgi legem improbare videtur, quando scribit: *In his omnibus nullum est injustitiæ aut injuriæ vestigium; quæ vitia nonnulli Legibus Lycurgi objiciunt.* Quid? quod & alii fuere, qui cum Lycurgo nostro eadem insularum tibus, ac eadem, quæ ille, ratione usi, Peregrinationem suis interdixerunt. En vobis Athenienses, qui peregrinum nullum in civitatem, nisi sex millia suffragiorum consentirent, admittendum esse statuerunt, neque etiam peregrinationem suis facile concesserunt, nisi (quæ & Platonis erat mens) senioribus solum, quos ex peregrinatione reduces in cœtum aliorum non admiserunt prius, quam probati fuerint & innoxii. Ita peregrinationem reprehendisse fertur Socrates, quod nihil conferret.

Cui ad stipulatur Seneca, quando ait: *Quid per se prodesse Peregrinatio cuiquam potuit? Non voluptates illa temperavit, non cupiditates refrænavit, non iras repressit, non indomitos amoris impetus fregit, nulla denique animo mala eduxit, non iudicium dedit, non excussit errorem: sed ut puerum ignota mirantem, ad breve tempus rerum aliquam novitate detinuit. Cæterum inconstantiam mentis mobiliorem levioeremq; reddit ipsa iactatio.* Et in Epigrammatibus Claudiani cum primis elegans illud est, quod de sene Veronensi exstat,

— qui propriis ævum transegit in arvis,
ipsa domus puerum quem videt, ipsa senem;
qui baculo nitens, in qua reptavit arena,
unius numerat secula longa casæ:
Proxima cui nigris Verona remotior Indis,
Benacumq; putat litora rubra lacum;

& quæ sequuntur cætera, hoc epiphonemate clausa,

Erret, & extremos alter scrutetur Iberos;
Plus habet hic vitæ, plus habet ille viæ.

Geminus huic seni senex erat nescio quis Aglaus Psophidius, Arcadum quidem pauperrimus; sed quia terminos agelli sui nunquam excefferat, parvuli ruris fructibus ac voluptatibus contentus, ipsi Gygi Lydorum Regi, potentia & opibus in speciem beatissimo, eum Oraculi voce prælatum scribit Solinus Polyhistor. Et quis est qui nesciat Chineses, potentissimum æquè ac superbissimum extremæ Asiæ populum, civibus suis minime indulgere peregrinationem, & quod reliquos mortalium omnes, tanquam rudes, inertes, barbaros alto despiciant supercilio, crebroque in ore gestent disterium illud: Chineses duos habere oculos, Europæos unum, & quod hominum est reliquum, cœcutire. Imitantur hos hac in parte Moscovitæ ac Russi, quippe quibus capitis supplicio interdictum est, ne peregrinentur, aut fines imperii egrediantur. Imperator enim non vult subditos suos peregrinis imbui moribus: hinc solam Russiam existimant esse Paradisum, neque extra eam ullos potentes dominos reperiri. Et hoc ipsum pro arcano Regni sui habent. De Æliano Historico, nec non de Pompejo Læto Grammatico, Historiarum monumen-

numenta referunt, eos ab omni peregrinatione abstinuiffe, & tamen egregios Viros evasisse. Imò verò existimant Prudentum bene multi, Peregrinandi studium viro bono ac nobili non tantum non esse necessarium, sed & noxium totique patriæ perniciosum. Quid enim (ajunt) Germaniam nostram ab antiqua illa simplicitate, Julio Cæsari, Tacito, aliisque veteribus tantopere commendata, deflexit atque immutavit? Peregrinatio. Quid tantam rerum omnium vicissitudinem in nostrum invexit Imperium? Peregrinatio. Quid tot hæresum, tot sectarum, tot schismatum semina dispersit in Germaniam? Peregrinatio. Quid immoderatam gulæ intemperantiam & epulas Apicianas patriis induxit focus ac mensis? Peregrinatio. Quid illam vestium peperit varietatem pompamque vanissimam, majoribus nostris incognitam? Peregrinatio. Quid lucem Gallicanam, morbum Hungaricum, sudorem Anglicanum, Africanam lepram, in Germaniæ derivavit viscera? Peregrinatio. Quid mores scurriles, gestus incomptos, ceremonias ridiculas, linguam affectatam, histrionicam temeritatem, Teutonum arvis induxit? Peregrinatio. Parum igitur abest, quin exclamem cum Thoma Moro: *Hæc dum rationis lance pondero, sane inficias ire haud possum, vesanas illas ad externos excursions sæpè plus moribus, ex corruptissimis illis regionibus damni inferre, quam prudentiæ accessione commodare.* Solet enim prudentia ex peregrinatione orta (quam Hispani pallio mendicorum ex multis particulis consarcinato haud male æquiparant) præpostera fere & exotica parere consilia, a vita virtute, patriis ritibus, institutis, moribusque neglectis. Parum etiam abest, quin nostræ Lycurgi Legi album adjiciam calculum, quæ ille peregrinationis ardorem in suis exstinxit, felicissimos eorum mores judicans, quibus nihil externi esset admixtum. At enim verò bona verba, quæso, Lycurge! Ratio est anima legis; Legis vero tuæ nulla est ratio! Scrupulus est, non scopulus, à quo cymbæ nostræ metuendum naufragium. Equidem pollicem tibi premimus statuenti, per Peregrinationes inveni extraneos mores in Rempublicam: ast num extranei mores omnes, ii etiam qui ad normam honestatis conveniunt, atro sunt notandi carbones? Num omne quod à nostris moribus alienum, ea propter exterminandum? Ita verò plurima, quæ æque ornamento ac commodo civitatibus sunt, ad Garamantas & Indos essent releganda; quod utrum prudentiæ Regulis sit conformis, judicent omnes, quibus mens de meliori ducta metallo. Quod si verò à nonnullis peregrinantibus quidam vitiorum labe contaminati mores invehantur in patriam, equis ea propter ipsam peregrinationem culpandam esse adfirmet? Hominum corruptus animus, non prætervehens surdis auribus vitiorum illecebras, crimen habet. Hæc prohibenda est negligentia, non verò tollenda res per se licita! Eodem enim jure tollenda esset omnis societas, tollendus vini, ferri, ignis, aquæ usus, quippe quibus & uti possumus & abuti. Arceantur à peregrinantibus, iisque reducibus, novitates, faceffant mores peregrini, absint petiæ ab exteris mutationes longissimè! Vigeant è diametro antiqua patriæ instituta, floreat veteres leges & consuetudines, conserventur prisca mores; sed & Nobilibus nihilominus, aliisque ingenuis, concedatur peregrinatio! Equidem non diffiteor, multis, qui

vix è conspectu patriæ telluris in oras

digressi peregrinas, si Galliam limis oculis aliquando aspexerunt, Gallicana omnia, si Italiam intuiti sunt, Italica omnia, si alterum pedem in Hispaniam intulerunt, Hispanica omnia, si in Anglia pernoctarunt, Anglicana sunt omnia;

B

imò

imò undecunq; tandem peregrè redierint, peregrina omnia, mores, gestus, vestitum, linguam, histrionica temeritate ac stultitia probant, jactant, extollunt, Teutonicis & paternis omnibus neglectis, fastiditis, rejectis. Incomparabilis Bœclerus tales vocat Patriæ proditores, *Parvi prævig,* inquit, *proprium est animi, de peregrinatoribus proditores patriæ facere.* Tales sunt, qui peregrinas scorias domestico auro præferunt, & sinceritatem patrii moris extraneo fūco corrumpunt, avitas denique virtutes novis undique convectis vitiis obruunt extinguuntq;. Hi neutiquam eapropter patriæ solum defecerunt, ut bonam sibi comparent mentem, ut à vera prudentia instructi redeant, sed ut technis sui similibus placeant, honestatem proculcent, virtutibus simulatis glaucoma aliis objiciant; cum tamen vitiis sint obruti, similes illi Lyfandro Lacedæmoniorum, cui perfidia, perjuriam, primæ curarum. Utinam atque iterum utinam quivis peregrinaturus verum peregrinationis finem ac scopum sibi proponat! Quis verò ille alius, quam ut peregrinans Reipubl. vel suæ, vel alteri, commodo olim sit & ornamento, ut ex variis variarum gentium institutis ac moribus civilem sibi comparet prudentiam, eaque penitus imbutus redux aliquando Rempubl. exornare, statumque ejus florentem conservare queat. Jam si actio omnis ex fine judicanda, non potest non hoc ex fine laudari & comprobari Peregrinatio. Hinc & Beatissimo Celeberrimoque Conringio prudentia peregrinandi est peritia cultiores populos invensendi, civilis prudentiæ comparandæ gratia, unde Reipubl. patriæ vel alienæ, nobisque ipsis, emolumento esse possimus. Nempe enim non satis est portis novis, quæ peregre occurrunt, vaccarum more, instupere, urbesque & regna magnitudine aut parvitate metiri: sed rationem potius gubernationis tam togatam quam militarem ubique observare oportet; advertere item, quomodo Principi pareant subditi, Ministri serviant; quibus rebus vires provinciæ consent, quibus defectibus eadem laborent, qui mores, leges, consuetudines ubiq; florent; qui ad eundem nobisque conciliandi Viri docti; quis modus ædificandi, quæ munitiones, quæ præsidia, qui & quales militiae nervi; qui & unde invadere volentibus aditus pateant; denique plus ne calor ad magna & audacia consilia, quam virium ad eadem exsequenda adfit? Verbo: Compareret sibi peregrinator variarum linguarum cognitionem, Magnatum doctorumque favorem & amicitiam, eruditionem rerumque plurimarum usum & experientiam; decerpit ubique rosas, relictis spinis; & peregrinationis illum nunquam poenitebit. Atq; hunc in finem (ut nimirum patriæ sibi que ed melius prodesse possent) longissimas susceperunt peregrinationes Viri olim Sapientissimi, Lycurgo agmine denso nunc opponendi. Num Pythagoræ, Philosophiæ inventori, vertendum vitio, quod in Ægyptum primò & Judæam, deinde Babyloniam ad Persarum Magos, studiorum gratia profectus est? Num divino Platoni, qui etsi patriam Athenas & Præceptorem Socratem nactus est, tamen Ægyptum etiam regionesque alias longe remotas perlustravit, & ad ipsas Mosaicæ veritatis medullas penetravit? Num Cyro, qui puer jam peregrinatus, & in Astyagis aulam missus est? Num Anacharsidi, qui, ut Scythicam exueret barbariem, Athenas profectus, & longissima itinerum intervalla emensus est? Num Aristoteli, illi Naturæ miraculo & Peripateticorum Principi, qui plurimas adiit regiones, ut plurimas etiam politias describere posset in suis Politicorum Libris? Num denique Romanæ Parenti Eloquentiæ, Ciceroni, qui ut summam dicendi gloriam consequeretur, Athenas se contulit, ibique Antiochum & Demetrium Syrum audivit, postea totam
Asiam


Asiam peragravit, Rhodum trajecit, & ad eundem, quem antea Romæ bis audiverat, Molonem, actorem planè eximium, tertia se applicavit vice, quò istum tandem naturæ defectum, quæ actionis instrumenta ipsi negaverat, summa opera, cura, diligentia, compensaret. Non jam dicam de Vlysse, qui *πῶν ἀνθρώπων ἰδὲν ἄστα, ἢ νόον ἔγνω* omittam Thesea, Herculem, Æneam; præteribo Argonautas, qui commiserunt pelago ratem primi, (ut cum Horatio loquar) nec timere præcipitem Africum decertantem Aquilonibus, nec tristes Hyadas, nec rabiem Noti; qui sicis viderunt oculis monstra natantia, ut aureum illud, quod fama cognoverant, vellus, h. e. rerum naturalium & abditarum scientiarum mysteria, ultimosque Sapientiæ recessus perscrutarentur. Huc enim illa Jasonis vela, huc conti & remi, huc proræ & puppes in universo decantata mundo, tendebant. Non adducam è Sacris, ipsum Deum haud improbare peregrinationem, quando per Legislatorem suum Mosen edixit, *Peregrinos non minus ac civēs benignè habendos esse.* Silentio involvam Siracidem, qui quando ea, quæ ad comparandam pertinent sapientiam, exponit, haut in postremis numerat Peregrinationem, *In terras, scribens, alienigenarum gentium pertranset: bona enim & mala in omnibus tentabit.* Hæc, inquam, prætermittam omnia; ac tuo potius, Lycurge, te jam jugulabo gladio. Quid enim causæ fuit, quod tu ipse, si quisquam, peregrinatus sis, & peragraveris Cretam, Asiam, Ægyptum, Africam, Hispaniam, Indiam, nisi ut ex variis variorum populorum legibus, institutis ac moribus, tuam postea formares Rempublicam? Annon igitur occinendum tibi illud Claudi-
diani:

*In commune jubes si quid censes tenendum,
primus jussa sibi: tunc observantior equi
sit populus, nec ferre vetat, cum viderit ipsum
auctorem parere sibi.*

Atq; istud Catonis:

*Quæ culpæ soles, ea tu ne feceris ipse:
Turpe est doctori, cum culpa redarguit ipsum.*

Euge, captus es, habes! Misso igitur Lycurgo, vos nunc appello, Illustres, Nobiles atque Ingenuæ Familiæ; agite, quod Natorum vestrorum exposcit indoles, quod sanguinis gloria desiderat, quod patriæ felicitas exoptat! Dimovete paucos ad annos à matrum osculis & amplexibus filios, quos olim inter Regum Principumq; amplexus majore videbitis lætitia! Emitte eos Laribus patriis, qui patriæ referent gloriam & incolumitatem! Ne vos pigeat infumendi aeris, dum pretiosior ære fama comparatur! Excoluntur dulcissimorum pignorum vestrorum animi per varias variarum nationum virtutes; & quos hinc rudes quandoque, ac rasas veluti tabulas, emisistis, pulcherrimis omnis honestatis ac virtutis speciebus formatos recipietis! Trahent illi ab Anglis ardentem scientiarum omnium amorem, ab Hispanis subtile in judicando acumen, à Gallis concinnam gestuum ac sermonis suavitatem, ab Italis circumspèctam in consiliis sagacitatem, à Borealibus fortem in armis, in laboribus, in periculis tolerantiam, à Germanis sinceram in verbis, commercii, fœderibus fidem & constantiam. Quæ universa in unum compacta quem, bone Deus, Atlantem gerendis Reip. negociis efformabunt! Nōstis, res huma-



humanas ita comparatas esse, ut non uni regioni omnia incluserit Deus; neque enim


--- *tellus eadem parit omnia, vitibus illa
convenit, hæc oleis; hic bene farra virent.*

Eadem ratio est Prudentiæ, quæ neutiquam uni affixa loco, sed per totum terrarum orbem quærenda. Ubivis namq; reperias, quod discas, quod sequaris, quod vites; modo animus ad rectam vivendi rationem sit attentus. Hic finis, hic scopus, cum mihi pariter sit præfixus; proinde quando eorum, quibus refragari piaculum est, voluntate, ex florentissimo hoc Athenæo in terras alio sub sole calentes mihi abeundum, & cum Laribus paternis ad tempus induciæ faciendæ, non quidem excurram, ut coelum tantum, sed & animum, mutem; non ut luxuriæ & voluptatibus indulgeam, sed ut mentem eruditione rectisque moribus impleam; non ut argentum leviter ac inutiliter consumam, sed ut prudentiæ ac sapientiæ thesauris ingenium instruam, dulcissimæque patriæ, suo tempore, DEO duce, comite Fortuna, restitutus emolumentum quid afferre queam. Quemadmodum haudquaquam mihi unquam placuerunt ii, qui per aliquod temporis spatium exterarum regiones pervagati, & domum reduces facti, in solis morum exoticorum gestibus, & linguarum aliquot peregrinarum ostentatione, peregrinationis suæ fructus consistere autumant; ita Supremi Numinis gratia adjutus unice in id incumbam, ut pectus Germanum sive candidum, Italico h. e. versipelli & callido incallidus non commutem, ut mores levitate Gallica non contaminem, ut modestiam omnibus hominibus gratam acceptamque Batava rusticitate non obfuscem, ut castitatem & continentiam Anglicarum Sirenium cantu non in naufragium adducam, ut tandem frugalitatis & temperantiæ virtutes cum Germanica, Bohemica & Hungarica voracitate, bibacitate & barbarie non permutem; atque ut paucis multa complectar, ita universam meam peregrinationem, Deo volente, instituiam, ut inde moratior, eruditior, utilior Patriæ, Parentibus & Amicis domum redire queam. Rata fac hæc vota mea, DEVS, cui me & quantus sum & quicquid sum, unice debeo. Et quidni Tibi, ô benignissime Conditor, & potentissime Ductor vitæ meæ, omnia debeam? Tuum enim est beneficium, quod Christianis Parentibus natus, in Ecclesiæ tuæ gremio educatus, ad id ætatis progressus sum, ut grata mente summa tua in me beneficia recolere queam. Serva mihi, ô sanctissime DEVS, hanc quam dedisti mentem, ut è complexu Larium patriorum dimissus, Tuo ductu, Tui Spiritus gratia, peregrinis in oris, illa mihi cum corpore sano, semper quoque integra valensque permaneat; dumque peregrinus sum alienis in terris, nunquam tamen exulem à gratia tua! Tibi me totum committo;

Duc me, nec sine Te, Deus optime, me sine duci!

Sed rapit me summus observantiæ amor in Vos, *Academiæ* hujus Venerandi *Proceres*, ut ore quidem, nunquam animo, solenne *Vale* dicam. Ad Te igitur me converto Vniversitatis hujus Florentissimæ Magnifice DN. RECTOR; Tibi uti de supremis *Academiæ* fascibus haud ita pridem collatis ex animo gratulor; ita ut Tuo & studiosæ Juventutis bono, eosdem tranquille ac feliciter modereris, intimum meum est votum. Invidenda capiat sub regimine tuo incrementa *Theologiæ* sacrarium! Mille sentiat sub moderamine tuo

tuo



tuo emolumenta Divæ *Themidis* palatium! Firmam experiatur, tuis sub auspiciis, incolumitatem ac florem *Hygeæ* orchestra! Vberimum sumat sub patrocinio tuo, augmentum & illustramentum *Sophiæ Musarumq; elegantiorum* palæstra; nec ulla incommoditas infirmitasve tui debilitet vires animi, mutetq; vigorem!

*Vive, vale; mox, fatorum currentibus annis,
Palladios iterum spondent Tibi sidera fasces!*

Quo autem dicendi charactere, *Perillustri ac Generosissime* DN. BARO, favorem Tuum complectar, quem non solum hic publice splendidissima tua præsentia, sed & privatim singulari affectu atque amicitia, ad id locorum abunde mihi exhibuisti. Certè alio officiorum genere demereri hanc Tuam benevolentiam nequeo, quam certissima convictus, societatis & favoris, ubi ubi locorum fuero, deprædicatione. DEVS interea Te à Patre *Ænea* & Avunculo excitatum *Hectore* in Virtutis tramite, quo pergis, regio, pergere jubeat: omnesque cogitationes tuas tam lætus sequatur eventus, ut Virtutibus tantis *Illustriissimæ* gloria Familiae & novetur & augeatur!

Tui pariter, *Generose ac Strenuissime* DN. *Oppidi hujus* PRAEFECTE, publice heic meminisse juvabit. Quid enim Tibi, pro benevolentia beneficiisq; nullo meo merito mihi exhibitis, nunce retribuam aliud, nisi animum, dum vivam, benefactorum memorem, Tuoque celebrando Nomini perpetim devinctum. Supremum Numen, quæ ego non possum, remuneretur largissimè, Tibiq; intaminatam corporis animiq; serenitatem, obsequentes cives, *Sibyllinum ævum*, & quæcunque his in terris maxima putantur, largiatur clementissimè, faxitq; ut filiorum filios, & qui nascuntur ab illis, fortis hilarisq; videas, tandemq; vitæ ac honorum satur in æternitate triumphes!

Cæterum ingrati animi notam incurrerem, nisi Vobis quoque omnibus & singulis SENATORIBVS & PATRIBVS ACADEMICIS *Amplissimis, Viris Celeberrimis*, gratias agerem debitas. Vestro enim sub patrocinio, tutela atque cura, per triennium integrum, incolumem heic loci vitam transigere mihi licuit, Vestra institutione fidelissima in omnigenarum artium ac disciplinarum genere progressus facere potui quam felicissimè, Vestris Exemplis & Comitatu maxime insigni, ad Virtutis semitam Duces mihi extitistis optimi certissimique. Ego, qua ratione hæc omnia compensare queam, non video. Ad vota igitur confugio, Deumq; veneror, ut florentes Vos domi, florentes hac in studiorum Vniversitate, florentes in orbe universo literario, servet, tueatur, protegat! Expandite folia Vestra ad instar *Lauri* semper viridissima, ut sub umbra eruditionis vestræ excellentissimæ, amans *Musarum* juvenus, quietem ac voluptatem capere queat desideratissimam; nec ullum malorum fulmen aut tonitru ramos vestros tangat lædatve! Vivite & valete Patroni & Præceptores mei, etiam dum absens fuero, mihi faventissimi!

*Dum juga montis aper, survios dum piscis amabit,
dumq; thymo pascentur apes, dum rore cicada,
semper honos, vestrumq; decus, laudesq; manebunt.*

B 3

Deniq;

Deniq; *Nobilissimorum* DNN. COMMILITONVM intuitu, ad metam properat oratio mea. O quam svave mihi fuit hactenus, florentissima Amicorum Corona, consortium tuum, quàm tristis verò erit derelictio tui; ò quam jucundum mihi fuit colloquium tuum, quàm intolerabile verò silentium tuum; ò quàm dulcis præsentia, quàm molesta autem absentia tua; quæ quò propior ed acerbior, quò certior ed ingrator, quò longior ed impatientior. Sed eundum, & quò fata trahent retrahentque, sequendum!

*Vos, precor, absentis (nec enim labor iste gravabit)
vitalis memores socii, & constantis amici
ingenuos alto versetis pectore vultus.
Vivite vivaces, virtute virete,*

VALETE!



A. Ω.

A. Ω.

ΠΡΟΣΦΩΝΗΣΙΣ

ad

Tra-Strenuum ac Nobilissimum

DOMINVM

GEORGIVM BVRKARDVM
LÖFFELHOLTZ

à Golbera &c.

Amicum honorandum, Altorphio discedentem;

*qua illi, ad bonam mentem, meo olim sub ductu,
strenue contententi, omnem felicitatem adprecatur,
animumq; obfignat*

SIMON BORNMEISTER.

LÖFFELHOLTZ! Proavis magnis, qui stemmata ducis,
Deliciae Patris, Patriae spes optima nostrae;
num, quæ Te complexa sinu, Altorphina Minerva
tandem dimittit, palmis & laude decorum?
Num Tua, Te, Virtus, alio sub sole calentes
cernere vult populos? Num quæ Tibi Sequana, quæq;
Ausonia urbs pandit, quæ Vaticanus Apollo,
Albion, Amstelia & celebrant, Tua pectora tangunt?
Sic Tu, magnarum rerum formatus in usus,
cum fructu varios populos, gentesq; remotas,
lustrabis; Tua Te externo quo clara sub orbe
illustrem reddat Virtus. Sic Troius Heros,
sic Dux Thessalicus, sic quondam cautus Vlysses,
in Patria celebres, peregrinas visere terras
ausi; quo Virtus illorum, & gloria famæ,
exsuperans vulgus, sese diffundere posset,
gentibus, ac seclis, esset spectanda, futuris.
Hos sequere! & pascas animum, per singula mentis
volve oculos: Patriæ tandem quo redditus, illi
& prodesse queas; nec sis peregrinus in illa.
Ergo age! quo pede cœpisti, modo perge; serenum
Ti niteat Cœlum. Superi! adspirate faventes,
huic Nostro, Zephyros. Hunc salvum reddite Nobis!

Auf viele Müß' und Fleiß/ auf stetes Tugend-Sinnen /
 auf Kunst/ Geschicklichkeit/ auf Weißheit und Verstand/
 auf vieler Bücher Schrift/ so Dir zugleich bekand/
 wie uns nunmehr zeigt Dein rühmliches Beginnen.
 Auf grosse Wissenschaft/ und was die Pierinnen
 Dir vormals Kund gethan/ dort an der Pegniß Strand;
 Was Nürnberg Dich gelehrt/ Dein Edles Vaterland/
 das werthe Altdorff auch mit seinen Castalinnen
 Dir eingegossen hat; auf dis und anders mehr/
 was kan wohl folgen Dir? als Preis/ Lob/ Ruhm und Ehr/
 wordurch Dein **E**dler Nam wird bey den Sternen
 sehen.

Dis ist des Adels Art/ Er dringet durch die Zeit/
 und setzet seinen Ruhm zur grauen Ewigkeit:
 Wer dorten hin gedenkt/ muß diesen Weg auch gehen.

Dieses setze Seinen Edlen Löffelholz
 schuldigst zu Ehren

Joh. Georg Mey.



ALIOS
 DISCORDIS BELLI
 LAUDES SUSCITARE
 JUVET!

Alii

IN GRÆCARUM LITERARUM

Aut

ALMÆ POESEOS

Dotibus ebuccinandis operam ludant!

Meliora dabit.

Atq;

LÆTIFERAM

NATI JESU CHRISTI,

DN. M. CHRISTIANO

GRUNEBERGIO,

Lycæi Francofurtani Rectore & Modera-
 tore sane Fidelissimo,

Applaudente,

PUBLICA ORATIONE

Prosequetur

JOHANNES GEORGIUS MEISNERUS,
 VVitteberga Saxo.

In aroaterio perigzo majori

D. XV. Jan. An. M. DC. LXXVI.

Hora X. matut.



FRANCOFURTI AD VIADRUM,

Literis CHRISTOPHORI ZEITLERI,
 M. DC. LXXVI.